

1700.

1. Speckman, Joannes Stephanus: *De conditione indulti.*
2. Sumnermannus, Casparus Theobaldus: *De vera ac genuina jurisdictionis carnalis in Dale.*

1702.

Sumnermannus, C. T.: *De praesentia regia.*

1703.

Sumnermannus, Casparus Theobaldus: *De veris maximo-
rum disrimentibus causis.*

1705.

Reichhelm, Friedrich Arnold: *De remuneratione juris
sui Lacata.*

1707.

Hansmann, Wolfgang Casparus: *De Dominio.*

1710.

+ Albertus, Wilhelmus: *De jure principis circa puerum*
Hartmann, Galsamus Franciscus: *Disputatio ineq. jurisdica.*

1713.

1. Albertus, Wilhelms: De jure principis circa poenam.
2. Fausse, Abraham: De depono.
3. Tileman, Joannes Antonius: Dissertatio juridica inang. et legum LVII. §. mandati.

1719.

1. ^{14. Oct.} Otto Saerwies: De perpetua feminarum Tutela
dictus Schenk
2. Tileman, Joannes Philippus: Disputatio juridica inang. et legum final. Cot. de edict. §. Patriam tollendo.

1721.

Pontanus, Carolus: Dissertatio juridica inang.: qua obligationem patris solvendi filiam bonis propriis instructam assuit.

1728.

1. Disting, Davidicus: Quatenus jurjurandum in supplementum locum habeat in causis matrimonialibus?

1728.

1^a = Pagenstecher, Henricus Theodorus: De Putcali Litouis
oratio. . . , cum ordinariam juris professione nunc
in regia Vindoburgensi academia solenniter auspica-
retur.

2. Plessen, Bernardus, l. b. de: De Libertate Germanica,
velut in Pr. Altm. Teutschen Freyheit. Nunc ab
autore rursus 1729.

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]



DISPUTATIO PARADOXA
De
1703
VERIS MATRI-
MONIUM DIRI-
MENTIBUS CAUSIS,

Quam

SUB PRÆSIDIO
CASPARI THEODORI
SUMMERMANNI,
Jurium Doctoris & Professoris
Publ. h. t. Facultatis Jurid.
Decani,

Ad diem Aprilis in Auditorio majori

Publicè Eruditorum disquisitioni submittes

A D A M U S B O N G A R D T,
D U I S B U R G E N S I S.



D U I S B U R G I ad R H E N U M,
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi,
Anno M. DCC. III.

Boag 102
4

DISPUTATIO PARADOXA

DE

VERIS MATRI-
MONIIUM DIRI-
MENTIBUS CAUSIS

Summa

Summa

CASPARI THEODORI
SUMMERMANNI

Primum Doctoris & Theologiae
Publici & Facultatis Juris

Decani

Almae Matris in Academiae

publicae Theologiae & Juris

ADAMUS BONGARDT,
DISENTERGENTIS

Summa

DISPUTATIO PARADOXA

DE
VERIS MATRI-
MONIIUM DIRI-
MENTIBUS CAUSIS
ANNO MDCCLIII





I. N. D. N. J. C.

§. I.



Unctas actiones nostras esse ip' nūiv seu in potestate nostra positas, ipsi Gentiles Sapientes, inevitabilem ceteris rebus necessitatem, seu fatum, quod ajunt, Stoicum, præfigentes, imprimis inculcarunt. Quod si verum est, uti, sano acceptum sensu, nemo inficias iverit, tum eam quidem in negotiis seu contractibus cum aliis celebrandis oportebit esse voluntatis humanæ libertatem, ut, si ar-

*Libertas
hominum
in negotiis
& contra-
ctibus.*

ridere conventiones nobis putamus, eas inire, contra vero, ubi damnum ex illis prospicimus, huic ut nos implicemus, à nullo mortalium jure cogi possimus. Imo postquam semel in contractum consensum erat, tunc jus alteri exinde quæsitum nos quidem obligatos constringere valebat; ex eo namque tempore res in juris procedebat vinculum, & necessitatis fiebat, quod ante voluntatis nudique arbitrii negotium fuerat. At si is, cum quo contraximus, & in cujus commodum ac utilitatem negotium vergebat, in dissolutionem seu rescissionem consentiat, cessare oportet illud juris vinculum, cum tralatitium sit, quemvis juri suo renunciare posse. Quare utriusque consensu placita seu pacta contracta valide rescindi posse, non Juris Naturalis solum est dictamen, verum jure quoque Civili non semel cautum, ut proinde Jctus Ulpianus id probe perpenderit, dum in l. 35. ff. de R. 7. asseruit, nihil tam naturale esse, quam eo genere quid dissolvi, quo

*Præmissis
in dissol-
vendis mu-
tuo consen-
su contra-
ctibus.*

A 2

colli-

colligatum est. Sane non sine ratione dixit, nihil æquè naturale, hoc est, Juri Naturali conveniens esse, ac propositum quidem axioma; nam cætera quidem hujus universi juris præcepta sunt etiam naturalia, hoc est, ex ratione à Deo nobis indita cognosci queunt; sed in multis, quæ ejusmodi juris habentur, regulis nonnullæ sæpenumero limitationes, seu potius restrictiones, repertiuntur; verum præsens axioma, vi cujus personæ, utrinque consentientes, ab inito contractu libere discedere possunt, tam generale est Juris Naturalis pronunciatum, ut de hoc quidem ipso Naturali Jure nunquam restringatur, sed in omnibus negotiis locum habeat.

§. II.

*Maxime
vero in
matrimo-
niis secun-
dum Jus
Natur.*

Sic, ut de cæteris nihil proferam, de matrimonio saltem constare oportebat, illud legitime contractum, imo, quod magis & summum in ejusmodi re est, copula quoque carnali consummatum, utriusque tamen conjugis consensu, si de solo Jure Naturali rem æstimes, dissolvi posse; nam quicquid heic alii, Juris Naturalis dictamina secundum genuina principia haud perpendentes, statuunt, matrimoniumque de Jure isto Naturali pro indissolubili societatis humanæ specic habeant, facili tamen opera demonstrari poterit, hæcenus duntaxat illius vinculum, uti aliorum quoque contractuum, perpetuum esse, quousque personis, quibus Jus exinde quæsitum est, in eo persistere placuerit, aliis conjuges, si utilius ipsis hoc visum fuerit, à se invicem discedere, adque priorem solitariam vitam redire posse. Cum enim matrimonii finis in sobolis procreatione principaliter consistat, hinc ut huic morem geramus, Jus quidem Naturale præcipit; attamen satisfecisse credendus est huic præcepto is, qui matrimonium contraxit, sobolemque procreavit, nam, ut ab eo tempore, in perpetuum, soboli procreandæ operam demus, hautquaquam determinatum video à Jure Naturali, ut proinde, solo hoc Jure inspecto, satis arbitrer finem implevisse eum, qui ad aliquod tempus in matrimonio persistit, gentique humanæ atque posteritati, quantum in ipso fuit, prospexit.

§. III.

Quid legi-

Verùm ne ita ad variationem alias nimium quantum proclive semper

semper humanum ingenium pro delectatione multa incommoda, *bis positi-*
 non dicam in domesticam, sed ipsam quoque civilem societatem, *vis cau-*
 induceret, hinc hæcenus demonstrata libertati quoad matrimo- *tum sit.*
 niorum dissolutionem, obicem posuerunt tam divinæ positivæ le-
 ges, à cunctis mortalibus observandæ, quam humanæ constitutio-
 nes, quibus sublata dicta libertas fuit à matrimonio semel legiti-
 mē contracto discedendi, ita ut utriusque conjugis placitum
 hac in parte susque deque habeatur; quo ipso enata hæc regula
 fuit: MATRIMONIUM INDISSOLUBILIS SOCIETAS ES-
 STO. Quæ utcumque, expressis hisce verbis, in Divino Codice
 non proponatur, in ipsa tamen divina Conjugii institutione, di-
 sertæ legis vim atque effectum habente, latet, & quidem hisce ver-
 bis: PROPTEREA DESERET HOMO PATREM ET MA-
 TREM, ET ADGLUTINABITUR UXORI SUÆ, E-
 RUNTQUE DUO IN CARNE UNA. Dum enim ipse
 Salvator noster, in celebri illa cum Phariseis disputatione, de qua
Matth. 19. vers. 3. dictis primæ institutionis verbis eam perpetui-
 tatis vim attribuit, sequentem ex illis conclusionem inferens: ITA-
 QUE JAM NON SUNT DUO, SED UNA CARO, QUOD
 ERGO DEUS COPULAVIT, HOMO NE SEPARET; hinc,
 si Salvatoris nostri, & proinde ipsius etiam Dei, explanationi inhæ-
 reamus, ipsam sequemur veritatem.

§. IV.

De Jure quoque Romano conjugalem hanc societatem indisso- *De Legi-*
 lubilem esse, extra omnem dubitationis aleam constituendum e- *bis Roma-*
 rit, quod ipsa nuptiarum definitio in §. 1. *de Patr. Pot.* proposita, *ni Juris.*
 hisce verbis: *Individuam vitæ consuetudinem*, docet, atque in *l. 1.*
de Rit. Nupt. hoc ipso, quo *consortium omnis vitæ* matrimonium
 dicitur, satis superque significatur. Uti verò in toto Jure, maxi-
 me Justiniano nostro, nulla creditur regula esse, quæ omnem pror-
 sus respueret exceptionem, hinc præsentis etiam matrimonialis
 negotii indissolubilitas, secundum propositam regulam, non adeo
 præcisæ & indispensabilis facta fuit, quin certis ex causis ab illa
 non liceret discedere.

At quænam illæ causæ sint, ex quibus matrimoniorum dissolutioni locus concedatur, id varic à Doctoribus tractatum reperimus, & communiter ea complurium meruit calculum sententiæ, quæ ex duabus duntaxat causis divortia permittit, adulterio scilicet & malitiosa desertione, quas & non plures ab ipso Christo Salvatore nostro & Paulo Apostolo, docente Sacro Codice, admittas esse contendunt. Et quamvis sententiæ hanc alias semper probaverim, & non sine summo piaculo, ab ea, uti communiter approbata, discedendum esse crediderim, nunc tamen ipsa hæc Sacræ Scripturæ dicta, quibus communis opinio innuitur, me alio perduxerunt, ut, postquam penitus rem consideravi, firmiter crederem, hautquaquam Salvatoris & Pauli propositum esse, divortii causas ad illas duas, quarum mentionem faciunt, restringere, ac proinde alias omnes æque graves excludere. Nam quæ de Jure Naturali dissolubilis societas matrimonialis erat, Jure Divino Positivo indissolubilis facta est, ut, quos Deus conjunxisset, homo non separaret, hoc est, ne sine legitima causa amplius separationi locus, sed, positis terminis habilibus & requisitis ad hanc societatem necessariis, perpetua cohabitatio conjugum in hac societate esset. Uti enim omnis regula, omneque præceptum sano sensu & cum grano, ut loquuntur, salis intelligi debet; ita huic præcepto, quo indissolubile iussit esse Matrimonium Summum Numen, non alia erit adaptanda explicatio, quam ipsa rei natura exposcit; ut propterea dicendum esse videatur, regulariter perpetuam hanc societatem esse inter virum & uxorem, si adsint & durent requisita illa, quæ vinculum matrimoniale efficiunt; sin autem ejusmodi quid deprehendatur, quod huic societati, quantum ad finem illius attingit, adeo adversum sit, ut vel data utrinque fides matrimonialis violetur, vel scopus essentialis tollatur, tum illam eo ipso dissolvi posse; uti enim alias, cessante causa, effectum cessare, ipsa naturalis ratio dicitur, ita vel maxime in matrimonio, utcumque contracto, illud axioma obtinere debebat. Nam mutuo consensu, vel alia superveniente causa, hujus tamen societatis fini non adversa, conjuges dilabi non posse, satis erat, dicto juris divini præcepto.

cepto, perpetuitatem hujus communionis jubente, injungi, ad ceteras autem causas, quibus, uti dictum, supervenientibus, impeditur finis matrimonialis, vel fides à conjugibus data violatur, ut perpetuitatis vinculum extenderetur, nulla jubebat ratio; & nisi liquido ab aliis contrarium doceatur, quod scilicet, huc quoque trahendum sit juris divini decretum, quoad vinculi indissolubilitatem, hautquaquam ejusmodi quid, seu abnorme & irregulare, statuendum erit; quod planum fieri poterit, modo nonnullas causas, Jure Divino non expressas, quibus tamen matrimoniali essentiae omne robur adimitur, perpendamus: ut ecce, quando alter ex conjugibus tam pertinaciter conjugalibus debiti praestationem denegat, ut nulla cogendi vis (nam ad factum, ut specificè quis id impleat, nemo, si refractarius manere velit, omnibus etiam humanis adhibitis remediis, cogi poterit:) ipsum in ordinem redigere queat, quid hic impedimento est, quo minus ad dissolutionem vinculi conjugalibus, ob hanc causam, properemus? quod & communiter Doctores admittunt; At qua ratione id fieri potest, si tantummodo duabus istis causis, divortio & malitiosae desertioni, in Jure Divino duntaxat expressis, inhærendum esse existimamus? Sane illo præcepto, quo ab hominibus separari prohibentur, quos Deus conjunxerat, hoc etiam in casu pertinacis denegationis debiti conjugalibus, contineri in matrimonio debebant conjuges, si verba saltem legis spectare, vim vero ejus & potestatem insuper habere velimus. Mihi itaque verissimum videtur, ejusmodi obvenientibus casibus, non tam hominem, quam ipsum Deum, separare conjuges illos, qui vel fidem matrimonialem abrumpunt, vel fini satisfacere nequeunt, vel Deum hominibus eam separationem saltem permittere. Quod eò certius constabit, quando demonstraverò, adulterium & malitiosam desertionem hautquaquam pro solis divortii causis, in Sacra Scriptura, cum exclusione aliarum, fidei tamen & fini matrimoniali adversarum, proponi, quod facturus sum, cum me ordo ad hasce causas considerandas perduxerit. Hoc verò prælitò, certo apparebit, quasunque alias causas, quæ fidem & finem conjugalem plane tollunt, societati huic dissolvendæ causam dare. Ita autem hanc meam tractationem dirigere

rigere animus est, ut primum causas, quæ ab initio matrimonium consistere non permittunt; deinde vero eas, quæ superveniunt, fidem, ut dixi, conjugalem violantes, vel quæ fini hujus societatis proprio promovendo obstant, consideraturus sim.

S E C T I O I.

De causis, quæ matrimonium, ceu ab initio nulliter contractum, irritum faciunt.

§. I.

*De causis
& impedi-
mentis in
genere.*

*Probatum
matrimo-
nia juri
adversa
regulariter
esse nulla.*

UT matrimonium inter eos, qui in hanc perpetuam co-ivere societatem, consistere valeat, ante omnia requiritur, ut jure & sine ullo impedimento, fini matrimoniali maximè adverso, copulatum sit. Quare si lex, aliudve quid, impedimento sit, matrimonium dirimi tum posse, ipsa naturalis ratio suadet, & ipsum proinde Deum, in Sacra Scriptura, ejusmodi in casibus, neutiquam dissolutionem prohibuisse, tam certum opinor esse, quam certum est, Sanctum illud Numen nihil voluisse indulgere mortalibus, quo, per indirectum, leges, non solum in Sacra Scriptura hominibus præscriptas, verum rationi quoque impressas, violare possent. Sic Deus dolum, sic metum, sic alia verit in conjugiiis celebrandis, quis autem crederet Deum viam permisisse mortalibus, qua tuto transgressoribus illarum legum facultas esset effectu sui sceleris potiri, ut in matrimonio, quod tamen dolo, metu, vel alio illicito modo copulaverant, relinquerentur? Tantus erat, si Diis placet, honor matrimonio tribuendus, ut per summum hominum scelus, vel etiam alias contra leges, ita nulliter contractum loco suo consisteret, nulla humana ope dissolvendum. Et quamvis alias regulam illam, quæ omne illud, quod

quod contra leges initum & constitutum est, nullum pronunciat; huc applicari oporteat, atque ita matrimonium nullum declarare; in plerisque tamen casibus non divina, sed humana prudentia diversum placuit, dum semel contra jus hanc inter virum & uxorem stabilitam communionem in suo statu, hoc est, si verum dicere volumus, in perpetuo scelere, in perpetuo reatu, relinquere malunt, & illud omnino ita fieri debere sibi persuadent, ut omnem illum, qui contra sentire in animum inducere ausus fuerit, maximum committere piaculum existiment. Dum itaque Deus contra leges matrimonia contrahere, tam serio interdixit, ut multis etiam in casibus animæ amissionem violatoribus dictaverit, dum etiam idem hoc Sanctum Numen, omne id, quod contra leges initum est, nullum esse vult, siquidem sana ratio hoc quemvis docere potest, hinc videndum est, quæ tanta causa fuerit, quæ propter in plerisque matrimoniis contrarium placuerit, sane, ut heic tam singulare & maxime exorbitans, ne dicam injustum jus, statueretur, operæ erat maxime pretium, concludentem, & adeo haud vulgarem, rationem adferre. In illo autem proitro Juris Divini axiomate: *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, nullam poni posse vim, certum opinor esse; nam, ut supra ostendi, tam crude illud non debemus intelligere, ut talia juri adversa matrimonia eo ipso inseparabilia pronunciemus. Catholicis sanè non deest fundamentum, nam hi matrimonium in censum & numerum Sacramentorum referunt, & eapropter perpetuum plerisque casibus, de quibus postea plenius agam, id esse volunt; at precarium illud saltem de Sacramento est fundamentum, nec enim est matrimonium in novo demum testamento institutum, neque in eo externum aliquod symbolum seu elementum cum re divina unitum reperies, & promissionem gratiæ salvificæ per matrimonii copulationem in nos derivari, vel eam omnibus contrahentibus applicari, nemo dixerit. Quæ & plura alia Domini Theologi abunde demonstrarunt; quare omne infirmo superstru- tum fundamento corruit; non possunt enim non scaturiginis suæ indolem sapere rivuli, & quicquid ex putido & conspurcato fonte deducitur aquarum. Et quamvis etiam Sacramenti alicujus

*Contraria
sententia
destituitur
rationibus.*

B

religio-



religionem hęc statuerę, adeo cordi erat Catholicis (qui tamen ipsi in definienda natura hujus Sacramenti non satis inter se conveniunt, conf. *Melch. Canus l. 8. Loc. Commun. cap. 5. Guil. Estius in 4. Sent. dist. 26. §. 7.*) non tamen continuo sequebatur, non licere legitimis ex causis, quas mox deducam, vinculum illud rumpere. Quicquid sit, proprium hoc est Catholicorum fundamentum, quod profluxit quoque in nostram Jurisprudentiam, adeo, ut, expulso etiam illo fundamento, multas tamen retinuerimus conclusiones, quas honor saltem matrimonii, dum alia deest causa, sustinere solet.

§. II.

Hęc pręmissis videndum erit, quanam in specie illę causę sint, propter quas matrimonium, seu ab initio illegitimę contractum, rescindi, seu, si mavis, nullum declarari potest. Et cum in nonnullis ejusmodi specialibus causis, a communi, imo omnium pene dixerim Scriptorum, schola, abire in animum inducam, imo non aliter mihi, veritatem hac in re intuenti, licuisse existimem, hinc apud cordatiores facilem veniam mihi polliceor, & confido, eos, qui veritati haud consona hęc esse existimaverint, meliora adducturos esse. Ut itaque ad rem ipsam me conferam, illud nunc ex modo dictis sufficienter constare arbitror, tum demum ab initio matrimonium subsistere, si legitime, seu jure, id contractum fuerit, & proinde e contrario non legitime contractum matrimonium non subsistere. Causę vero, propter quas talis societas ut illegitime contracta dici potest, varię sunt, & ut secundum ordinem proponantur, ita eas considerabo, ut primo generaliter eas, quę propter deficientem initio necessarium consensum personarum oriuntur; deinde vero eas, quę magis speciales in hoc conjugii negotio sunt, traditurus sim.

§. III.

Quomodo id sit intelligendum, quod dicitur, consensum facere nuptias, non concubitus, a nostris traditum reperimus, & vulgati est juris. Si enim matrimonium contractibus annueramus, prout sano & proprio sensu, secundum Jus Gentium considerando contractus, facere possumus, facile intelligitur, nihil aliud pręter contrahentium consensum ad perfectionem ejus requiri, perinde ac emptio & venditio protinus, quando partes consenserunt

senferunt, deque pretio & merce inter se convenerunt, perfecta est; *cere nu-*
nam simili modo potest allegatum juris axioma intelligi, quod scilicet *pria, non*
matrimonium, si contractibus illud annumeraveris, solo consensu, *concupi-*
ad suam perfectionem obtinendam, contentum sit, neque corpo- *tum.*
rum communicationem, seu concubitum, ad perfectionem hanc re-
quirat, sicuti cuncti consensuales contractus solo etiam consensu
perfecti redduntur, utcunque ad consummationem alia requirantur.

§. IV.

Habet autem consensus duo principia, intellectum & volunta-
tem, & intellectui quidem obstare, seu glaucoma objicere, dicitur
error, circa quem Doctores distinguere solent, an sit circa ipsam
personam, vel ejus qualitatem, eamque rursus, vel essentialem, vel
accidentalem; duobus prioribus casibus, quando circa perso-
nam, seu circa ejus qualitatem essentialem, ignorantia seu error
versatur, unanimiter contendunt, matrimonium vitiari vid. *Serru-*
in Synt. Jur. Civ. exerc. 29. th. 25. Præprimis verò, quoad erro-
rem circa personam, adeo inter se convenire videntur Doctores,
ut difficillimum videri possit, nunc contrariam sententiam alicui
persuadere, dum alias tutius esse judicatur, communi senten-
tiæ adherere. Verum si rationes præstare, ac omnes, quotquot
eæ demum sunt, auctoritates vincere debent, tum mihi hac in
parte vero videtur similis esse, nullum errorem, qua talem, circa
personam commissum, matrimonii obstare, sed, eo non obstante,
rata & firma esse matrimonia, imo cuncta etiam alia negotia, alias
juri saltem conformia.

§. V.

Equidem si in finibus Juris Naturalis duntaxat subsistendum erit, *Quid circa*
facile puto, me assertionem hanc cuius cordato probaturum, adeo *eum de*
ut existimem, secundum ejusmodi juris placita in omni errore, sive *Jure Na-*
circa personam, sive circa aliam rem versetur, hæcenus dicti proce- *turali ob-*
dere, idque sine ulla limitatione. Cum enim unusquisque ex con- *stineat.*
trahentibus obligatus sit, ut alteri animi sui sensa exprimat, & po-
stulata sua, quibus scilicet conditionibus pacisci velit, exponat, hinc si
per incuriam hæc neglexerit, non aliter fieri nequit, quam ut se-
cundum ea, quæ dicta erant, & hæcenus inter partes constabant,
B 2 pro-

procedamus, siquidem propositum in mente retentum nihil operari poterit, & is quoque, qui hoc in animo retinuit, sibi suæque negligentia imputare debet, quod id ipsam non expresserit; nullum sane hoc casu video principium, ex quo errans rescissionem initi contractus ex capite erroris prætereundum valeret, quando nimirum alter contrahens, quod præsuppono, non fuit in dolo, sed bona fide egit, nec olfacere is potuit, quam circumstantiam ille, qui errorem deinde objicit, præ se tulerit: ceteroquin enim error talis redundaret in alterius præjudicium, illique imputaretur, quod alius erraverit. Quid? quod si errori tam notabilis vis & effectus rescindendi contractus & negotia tribuitur, tum cuius deterrimo & perfido homini facillimum fuerit, omnia negotia, omnesque conventiones eludere, solo scilicet hoc errore obmoto. Et nullum aliud dogma reservationes mentales, cave tamen pejus & angue vitandas, magis stabilire posse, isti facile videbunt, quibus perversa & fallax quorundam hominum natura vel obiter nota & perspecta est.

§. VI.

*Requiritur
ut solus
adsit error,
non aliud
impedi-
mentum.*

Heic tamen ante omnia requiro, ut error sit solus, & absque dolo vel alio impedimento; nam si altera pars, cum qua matrimonium contraho, hujus erroris mei conscia fuerit, dolus ipsius intercedit, quo casu hautquaquam propter errorem, verum propter dolum, matrimonium nullum declarandum foret; quem etiam casum communiter Doctores respicere solent, dum errori circa personam ejusmodi effectum rescindendi sponsalia tribuunt, in quo tamen maxime hallucinantur, effectum, qui proprius doli vel alterius cujuscunque vitii & impedimenti est, cum illo, qui ex errore oritur, confundentes. Eodem quoque modo videas, nonnullos Doctores asserere, propter errorem circa potentiam generandi, rescindi nuptias posse, sicut post alios scripsit *Serwus in Syntagm. Jur. Civ. exerc. 29. th. 25.* verum tamen ejusmodi nuptias firmas haud pronunciamus, ut in sequentibus pluribus suppeditare animus est, tamen illud dico, ejusmodi infirmitatem nullo modo falsæ causæ, nimirum errori, adscribendam esse, sive enim erratum fuerit, sive non, oportet tamen semper intentionem

in

100

in hoc negotio potissimum subservire fini matrimoniali, ut proinde, hoc cessante, ipsum quoque negotium corruat. Quare cum legibus pacti & initi matrimonii pars impotens satisfacere nequeat, ea sola causa est matrimoniale vinculum dissolvens; leges autem, vel, ut proprie dicam, conditiones alicujus pacti, sive palam exprimantur, vel tacite subintelligantur, nihil interest: nam de eo nulli quidem dubium erit, quin ille sit principalis scopus in nuptiis, ut procreationi sobolis operam dent conjuges, quo ipso præcise tales qualitates in personis requiruntur, quæ hunc finem in actum deducere valent.

§. VII.

Et hæc omnia, quæ de errore dixi, adeo generalia, maxime si solum Jus Naturale inspexeris, esse existimo, ut nullam hæc admittam exceptionem, imo, secundum præfatum Naturale Jus, nulli errori, in negotiis contrahendis commisso, hunc effectum tribuo, ut rescindere negotia valeat, dummodo alias se bene justeque requisita habeant; nam, ut supra deduxi, justius est, illi imputare errorem, qui neglexit animi sui sensa in contractibus & negotiis exprimere, quam illi, cui conditiones, quibus alter negotium inire desideraverit, odorare, impossibile fuit. Sane, uno casu, nihilominus cum, qui erravit, contractus rescissionem jure petere posse, *Thomasius* scripsit, in *Instit. Jurisprud. div. lib. 2. cap. 7. §. 41.* quando scilicet circumstantiam, circa quam errorem commisit, expresse promisso per modum conditionis adjecerit, quoniam tum alter, cum quo pactus est, justam de illo conquerendi occasionem non habeat. Quod, ut eo melius intelligatur, sequenti casu explanabo: Titius juvenis sibi constitutum habet, Cajam virginem, utpote quam ab omnibus bonis laudari audivit, in matrimonium sumere; at ex errore in aliam v. g. Semproniam incidit, & huic, Cajam illam esse præ se ferens, amorem solito modo exponit, ea tamen lege atque conditione, si illa Caja foret. Quod si extra propositam materiam casum cupiamus, ponamus Semproniam à Titio vinum, quod existimaverat anno 88. natum fuisse, ea conditioe emisse, ut illud de dicto anno esset. Hæc cit. *Dn. Thomasius* limitationem à dicta regula, secundum quam

Hoc de Jus-
re Natur.
in genere &
latius de-
ducitur.



erroris culpa & effectus in errantem semper redundabat, sibi statuendam esse existimavit, in quo tamen (pace illius hoc fieri facile mihi promitto) ab illo dissentio, in eo scilicet quod propter errorem rescindi tali casu matrimonia vel negotia, & ita exceptionem à regula statuat; nam id quidem facile largior, quando ejusmodi circumstantia, vel requisitum à me præsuppositum, & per modum conditionis contractui appositum, deficit, ipsum etiam negotium tum irritum fieri; at hoc exinde fieri certum est, quod alter contrahentium conditionibus contractui apposis non satisfaciatur, & ita, cessante seu deficiente tali conditione, necessario effectum etiam conventionis extingui oporteat. Casus itaque ejusmodi hautquaquam erit exceptio seu limitatio quædam à regula dicendus, sed potius per interpretationem restrictivam, tanquam ad regulam non pertinens, explicandus; nam quomodo illa duo, quando nimirum aliquid per exceptionem à regula eximitur, & illud, quod ad regulam haud pertinet, per interpretationem restrictivam exponitur, differant, ipse *Dn. Thomas*, in cit. tractu elegantissime exposuit.

§. VIII.

*Quid de
aliis legum
speciebus
dicendum
sit.*

*Positivæ
leges in du-
bio ita sunt
explican-
dæ, ut cum
jure Natu-
rali con-
veniant.*

Hæc quidem Juri Naturali, quoad errorem, & in specie eum, qui circa personam est, conformia esse, facili ratione demonstrari poterat. At id ipsum de legibus humanis, maxime vero Jure Canonico, asserere velle, summa videtur esse difficultas. Interim si non deterrent auctoritates, sed leges saltem valent, non adeo difficile puto, idem, quod de Jure Naturali probavi, de legibus quoque aliis, inprimis Juris Canon. placitis, adstruere; nam illud generaliter observare utile erit, omnes leges positivas ita in dubiis casibus explicandas esse, ut à Jure Naturali quam minimum discedant; si enim Doctores de Jure Romano & Canonico asserere illud audent, conformitatem scilicet in dubio inter illa tenendam esse, meliori tum jure illud fieri poterit in explicandis juribus humanis, quo scilicet hæc tam facile cum Naturali Jure ceterorum omnium Jurium principio, non committantur, sed tum demum, quando manifesta ejusmodi legum dispositio diversitatem inducit, non semper enim Jus Civile, vel aliud quodcumque, Juri Natu-
rali

tali quid detrudere, vel addere, existimandum est, ut proinde in dubio pro illo pronuntiandum esse existimaverim, qui Jus Naturale pro intentione sua allegat, ni alter, derogatum huic in tali casu per leges civiles esse contendens, evidentissime contrarium demonstrare valeat.

§. IX.

Hæc ideo præmittere placuit, quo onus probandi, quod præter necessitatem nemo facile subit, jure declinare possem: cum ita enim præsumtio pro mea stet assertione, hinc sola ea ab obligatione probandi, si quæ mihi incumberet, me liberabit; aliàs tamen certum etiam erat, affirmantibus incumbere probationem; quapropter communem sententiam propugnantibus, quod omnes hac in parte Doctores videntur facere, conveniet, asserti sui fundamentum, vel ex Juris Civilis vel Canonici textibus, adferre, illisque docere, posse, propter errorem circa personam, nuptias rescindi. Quo vero eo clarius communem hac in parte errorem, qui tamen nunquam jus debet facere, confutare queam, prius casum, & quidem sequentem, formabo: Sempronius in animo habet inire matrimonium, & quod Cajam, non divitem solum & formosam virginem, verum magnis etiam virtutibus ornatam esse ex aliis percepit, hanc in vota sua pertrahere desiderat; At vivit alia adhuc virgo in Cajæ ædibus, utpote illius cognata, cui quidem ponamus (exemplorum enim non requiritur veritas:) naturam & fortunam, si faciem videas, & externum corporis habitum, nihil denegasse, alia vero si quæsieris, pecunias scilicet & virtutes, quæ tamen non semper pari passu ambulant, nihil eorum pænes talem inveniri. Quid si Sempronius hanc, dum Cajam eam esse opinatur, expectat, illique summum suum amorem, quibuscunque poterit verbis blandissimis, exponat? Quid si hæc, postquam modicum temporis spatium deliberationi sumtum (statim enim consentire, indecorum videtur:) effluerat, petitis proci sui annuat, nuptiasque illi repromittat? An hoc casu putabimus Titium, comperto errore, resillire posse, ex eo scilicet capite, quod non Caja illa fuerit, cum qua tamen contrahere intenderit? Mihi sane videntur firma esse ea sponsalia, & propter solum errorem hautquaquam rescindenda, scilicet si alia

Casus formatur.

alia cuncta se probe habeant, & præmissis dolus alterius partis non intervenerit, sed alia illa virgo non aliter crediderit, quam se expetitam in matrimonium à proco fuisse; sane, ut alia superius in genere adducta taceam, quis heic non videt injuriam, qua persona ejusmodi afficeretur, si omnia, quæ bona fide cum proco egerat, rescindi debeant, & ipsa præter culpam suam, & propter negligentiam seu reticentiam alterius, in pœnitendum casum deduci. Et licet procus in dolo non fuerit, ac proinde dictæ virgini non videatur injuriam facere, detecto errore à sponsalibus recedens, non tamen ab omni planè culpa eum immunem esse judicarem, quod animi sui sensa haur plenius explicarit, quam scilicet personam in matrimonium exposceret; nam per id maximè negotiorum validitati consulitur, si contrahentes animi sui sensa, quantum ad conditiones, quibus contractus inire velint, necesse est, satis exprimant, ne alias post festum, ut ajunt, seu post negotium conclusum, tot disputationibus, imò & ipsis reservationibus mentalibus, ansam dare, opus sit.

§. X.

Contraria
resoluntur.

Sed age nunc excutiamus contrariæ sententiæ fundamenta, eaque veritatis trutina expendamus. Primo dicunt ex *l. nihil consensus est contrarium* 116. §. 2. ff. de R. 7. eum, qui errat, non videri consentire. Respondeo 1. revera tamen errantem consentire, quantum externa specie id facere haud videtur; deinde distingo inter errorem simplicem, quando nimirum nihil aliud, quam error subest, & errorem qualificatum, seu cum alio vitio, maxime doli, conjunctum: priori casu errans consentit, seu validè obligatur, posteriori vero casu errantem non consentire arbitror, non quidem principaliter propter errorem, sed propter fraudem in altero contrahente, vel aliud, quod subest præter errorem, vitium. Cætera, quæ ex Jure Civili in contrarium afferuntur, vel plane ad rem non faciunt, vel eadem ratione expendenda veniunt. Ex Jure Canonico verò nonnulla objiciuntur, quæ magis ad rem arbitror pertinere, quando nimirum in terminis, ut ajunt, terminantibus quosdam textus in medium producant: sic enim dicunt in *can. unic. caus. 29. quest. 1.* discretis verbis id statui, propter erro-

errorem circa personam nuptias dissolvi posse, seu, ut habent
 verba illius canonis, talem errorem conjugii consensum non
 admittere. Sed, ut taceam dictum canonem hautquaquam de so-
 lo seu simplici errore loqui, verum de eo, quem qualificatum,
 hoc est, cum dolo conjunctum dixi, quod omnia ibidem addu-
 cta exempla satis superque docent, id in presentiarum saltem o-
 stendam, totum cum canonem nullius valoris, seu auctoritatis esse;
 cum enim primum illud Juris Canonici volumen, Gratiani De-
 cretum vocamus, non majorem auctoritatem habeat, quam fon-
 tes ex quibus desumptum est, hinc facile constare puto, nec huic
 canonis robur adjudicari posse, utpote cum de fonte istius nihil
 liquido appareat, & adeo cum ex ipsius Gratiani cerebro effluxisse
 certum sit. Qui fidem hac in re mihi habere rennit, is *B. Ziegleri*,
 viri, dum viveret, in Jure Canonico versatissimi dissertationem
 Proemiale ad Lancellottum inspicere poterit, ubi §. 39. ita
 scriptum reperiet: *Sed enim ea est totius voluminis (scil. Decreti)*
conditio, ut nisi unaquaque particula ad principia sua revocetur, &
de principiorum quoque auctoritate examen ante omnia instituat,
nihil asserere vel probare inde liquido liceat. Majorem difficultatem
 videtur inducere *cap. Tua nos 26. X. de Sponsal.* ubi Pontifex *In-*
nocentius III. in vers. consequenter Gebennensi Episcopo in hæc
 verba rescriptit: *Consequenter autem quaesisti, ut cum quidam mu-*
lierem quandam aliter inducere nequivisset, ut sibi commiseretur car-
naliter, nisi desponsaret eandem, nulla solennitate adhibita, vel ali-
cujus presentia, dixit illi: Te Johannes desponsat, cum ipse Johannes
minime vocaretur; sed finxit se vocari Johannem, non credens esse
conjugium, eo quod ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet pro-
positum contrahendi, sed copulam tantum extorquendi carnalem;
utrum inter predictos sit matrimonium celebratum, cum mulier con-
senferit, & consentiat in eundem, & ille dissenferit, & dissenferit;
nec aliud quicquam egerit, quam quod superius est expressum, nisi
quod cognovit eandem. Super quo fraternitati tue taliter responde-
mus, quod cum presatus vir dictam desponsavit mulierem, in pro-
pria quidem persona, etsi sub nomine alieno, quo tamen vocari se
finxit; & inter eos carnalis sit copula subsequuta, videretur forte pro
 C
 conj-

011
 conjugio presumendum, nisi tu nobis expresse scripsisses, quod ille nec
 consensit illam ducere in uxorem, quod, qualiter tibi constituerit, non vide-
 mus. Nos tamen, quid juris sit, rescribentes hoc dicimus, quod si res ita
 se habuerit, videlicet quod ille nec proposuit eam ducere in uxorem, nec
 unquam consensit, inter predictas personas non deberet ex illo facto con-
 jugium judicari: cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec
 etiam forma contrahendi conjugii valeat inveniri, quoniam ex alte-
 ra parte doli solummodo adfuit, & deficit omnino consensus, sine quo
 cetera nequeunt fides perficere conjugale. Expedita quidem ad hunc
 canonem responsio videtur, illum scilicet non loqui de errore circa
 ipsam personam, verum de eo, qui circa nomen saltem versatur;
 at heic illud maxime urget, qui fieri potuerit, ut Pontifex hoc in
 casu majorem rationem illius, qui dolo fœminam ad concubitum
 seduxerat, habuerit, quam ipsius fœminæ, quæ non alia inten-
 tione copulam carnalem concessisse credi poterat, nisi talis des-
 sponsatio revera præcessisset, quæ factâ, nulla sane apparebat cau-
 sa, matrimonialem promissionem irritam declarandi. Non mi-
 randum itaque est, quod inter ipsos Canonistas, de intellectu
 hujus canonis, variæ opiniones ortæ fuerint: sic alios distinguen-
 tes reperies, inter forum externum, & inter forum internum,
 seu conscientiæ, ita ut de priori casu, vericulum *Super quo &c.*
 intelligant, validum in tali externo foro matrimonium à Pontifice
 judicatum fuisse asserentes; invalidum verò, quoad conscientiam in-
 ternam scilicet forum, de hoc vericulum *Nos autem &c.* accipien-
 tes; ita namque docuerunt *Abbas h. column. 1. Gabriel. in 4. di-*
stinct. 29. quest. 40. Probus in addit. ad Monachum in cap. 1. num.
6. de desponsat. impub. lib. 6. Socin. Consil. 28. volum. 2. num. 2.
Covarruv. in 4. 2. part. cap. 2. Menoch. de Presumpt. lib. 3. præ-
sumt. 1. num. 29. Nonnulli autem ita propositum textum intelli-
 gunt, ut ex ficto & simulato tali consensu matrimonium nondum
 contractum quidem esse existiment, illum tamen, qui ficto & si-
 mulatè consenserat, teneri iterum verè consentire, quod sane in
 effectu est in citato canone matrimonium pro valido judicare.
 Quam sententiam complures Canonistæ amplectuntur, ut *Basilius*
lib. 2. de matrim. cap. 5. num. 5. Soto in 4. distinct. 27. quest. 1. art.
 3. &c.

3. & lib. 8. de *Iustit. quest. 1. à num. 8. Conf. Covarruv. de matri-
mon. 2. part. cap. 2. num. 4. Ledesma eod. tract. difficle. 9.* Et hi
assertionis suæ eam afferunt rationem, quod promissio talis velut
contractus quidam sit repetitus, do ut des, & ideo, muliere ad-
implente ex parte sua, virum quoque ad implendum id, quod
promisit, remanere obligatum, l. 7. ff. de Pact. l. 5. ff. de Praeser.
verb. Conferantur interim, quæ de dicta Pontificis decisione
Theodor. Beza scripsit in tract. de Repud. & Divorc. p. m. 90. hisce
verbis: Ego verò, inquit B. Auctor, si magistratus essem, hunc
nodum alio nodo expedirem, quo videlicet impurus huiusmodi sacri
conjugii temerator, & honesta mulieris corruptor strangularetur.
Quod si iudicandum fuerit de conjugio, non dubitarem firma esse spon-
salia pronuntiare.

§. XI.

Ex hæcenus dictis satis apertum esse iudico, sponsalia ne qui-
dem propter errorem circa personam rescindi possit. Quare illud
multo magis de ipso jam tum contracto matrimonio affirmandum
erit, quamvis communiter Doctores dissentiant; nam *Beza cit. tractum*
tract. p. 161. in personæ deceptæ arbitrio illud positum esse iudi-
cat, an jure suo uti, eamque, in quam nunquam consensus, pro
extranea habere, an ultro, subsequente consensu, id, quod per se
alioquin irritum est, confirmare velit, sicut à *Jacobo* factum esse
dicit, quum *Leam* apud se retineret. Sed auctoritatibus nihil-
quicquam moveor, & aliàs *Bezam in cit. Can.* non tam de simplici
errore, quam de tali, qui conjunctus cum dolo, (qualificatum
hunc appello errorem) loqui, vel illud indicio est, quod ejusmo-
di personam deceptam esse dicat, hoc verò nulla ratione fieri
poterat, nisi dolus alterius concurrisset, per quem demum dece-
ptus quis dicitur.

§. XII.

Hæc de errore circa ipsam personam sufficiant. Potest circa
alias qualitates talis etiam contingere, quo casu facillimum jam
erit statuere, nunquam propterea matrimonium dirimi. Sed quid
si error circa ipsam virginitatem contigerit, dum virginem quis
putat

111
 Quid circa
 uirginitatem?

putat se ducere, quam tamen postea corruptam esse deprehendit; hoc sane casu dices, propter errorem nuptias dirimi posse, sicut communiter Doctores, sibi persuasissimum habent, *Struv. in Synr. Jur. Civ. exerc. 29. th. 25. Srauch. de errore cap. 3. th. 14. Muller. ad cit. Struv. loc.* Errorem enim talem, circa qualitatem matrimonii essentialem dicunt esse, seu quodammodo ad essentiam illius pertinentem; cum enim copula extra matrimonium sit illicita, adeoque uirginitas ad matrimonium usque seruanda, & quasi tacite de illa matrimonium ineuntes sibi dent fidem: hinc merito sponsus à sponsa, & uiceversa sponsa à sponso uirginitatem exigit, ut proinde, si tentata reconciliatione sponsus gratiam huic tacite datae fidei violatae facere nolit, rescindi matrimonium possit. Quam sententiam compluribus aliis argumentis comprobari reperies; ita enim ex ipso Divino iure adducitur text. *Deuter. 22.* ubi non modo diuortium permittitur, sed, quod seuerius etiam est, corrupta capitali supplicio iubetur affici. Sic exemplum quoque Iosephi hac in parte laudabile & imitandum esse uidetur, dum diuortium ab uxore sua secreto facere constituit, eo quod ab alio eam imprægnatam suspicatus fuerat, quo etiam nomine ut *Strucos*, hoc est, uir probus, commendatur. Adhæc in Iure Civili textus reperiuntur, quibus hæc opinio non mediocriter confirmari uidetur; nam si ancilla corrupta fuit emta pro uirgine, quamvis summo iure ualeat emtio, *l. alioquin 11. §. 1. ff. de Contrah. emr.* ob iustissimum tamen errorem ad rescindendam uenditionem agi posse, traditur *in l. ex emto 11. §. si quis uirginem. 5. ff. de action. emr.* Quod ut tanto magis in matrimonio & uxore procedat, ipsa uidetur ratio, argumento ducto à minori ad maius, iubere. Si quoque Leonis Nouellæ quidquam ualere debent, tum sane in præsentī casu ex *Nov. 93.* non leue argumentum desumitur. Præterea manifestum dolum in tali putativa uirgine reprehendunt, dum se pro uirgine gerit, cum tamen corrupta sit, propter quem dolum satis causæ esse dicunt, ut matrimonium, comperto mulieris scelere, dirimi ualeat; quo Germanicum etiam prohibitionem applicari poterit, secundum quod, meretricem ducere, infamæ reputatur scelus; adeo enim castitatis tenaces fuerunt obseruatores

vatores veteres Germani, ut sceditimum illum mortaliū existi-
maverint, qui cum meretrice conjugium copulaverit, prout in
sequentibus pluribus demonstrabo. Ne de tristi & infelici exitu
ejusmodi matrimonii quid referam, dum maximum odium ibi fla-
grat, ubi summus amor esse debebat, quod quàm multis incom-
modis damnisque occasionem suppeditet, pronum satis erit ju-
dicare.

§. XIII.

Hiscæ quidem argumentis maximum robur inesse, facile patet,
sed pro contraria sententia nonnulla etiam, maxime speciosa, ad-
ferri possunt. Ubi tamen eo procedendum haud erit, ut assera-
mus, ejusmodi scæminam, quæ, ex nimia amoris vi, pudicitiam
suam virginalem ante sponsalia alteri excutiendam tradidit, nul-
lum peccatum commississe, seu plane extra culpam positam fuisse.
Sanè si audiamus *Harprecht. ad §. 1. de inoff. testam.* ita dicendum
erit, si verum est, quod pro stabilienda sententia sua adfert, ta-
lem coactam se prostituere, ex eo, quod amor ipso igne potentior
judicatur, item ejusmodi virginem superioris sui mandato o-
bedivisse, & per consequens culpâ carere, propterea, quod mul-
lier amore capta ipsius amoris sit serva. At hujusmodi argumen-
tis nulla inest vis; videndum vero erit, an non pro contraria hac
sententia meliores rationes militent, & perpendendum, an non
in specie illud heic adferri possit, quod, dum error in dubio er-
ranti imputandus est, in tali casu sponsus sibi etiam imputare de-
beat, quod non melius in conditionem & qualitatem sponsæ suæ,
in tam arduo negotio, inquisiverit: nam, debita hac investiga-
tione omissa, commune Germanorum adagium, *versehen ist auch
verspielet* / videbatur locum habere. Sanè in aliis vilissimis etiam
rebus, v. g. equis nobis comparandis, cautius solemus mer-
cari, & ab aliis, naturam ejusmodi equi, quem emere intendi-
mus, perspectam habentibus, notitiam omnium illius qualitatum
nobis comparare. Quanto itaque magis nobis in tam ardua con-
ventionem matrimoniali idem incumbet, ut prius in conditionem
& qualitatem illius, quam thori sociam cupimus, inquiramus,
nupte cum heic nulla redhibitoria actio, ne quidem propter cæ-
citatem

citatem latentem, aliudve in oculos non incurrens vitium, modo omnem usum, ad finem destinatum tendentem, non impedit, solatio esse queat. Et utcumque, si equus retrogradus deinde repertus fuerit, actio redhibitoria, pro rescindenda venditione, locum habeat, putidum tamen & dignitati hominis inconueniens foret, talia ad uxores immorigeras applicare velle, adeo ut ne quidem utilis redhibitoria actio bonis eiusmodi maritis, sub cruce domestica imperio scil. & dominatu foeminarum retrogradarum immane quantum gementibus, concedi valeat. Qui itaque illud, quod suarum partium erat, antequam negotium firmiter contraheret, neglexit, necquicquam postea comperto aliquo circa virginitatem errore, matrimonii dissolutionem praterdere videtur, dum, quod antea voluntatis fuit, semel oportet fieri necessitatis, postquam scil. negotium utriusque consensu stabilitum fuit. Hoc autem casu circa qualitatem essentialem errorem committi, vix est, ut admittatur, cum illa pro essentialibus alicujus negotii haberi debeant, quae necessario ad istius substantiam pertinent, vel quod iis finem promoveri oporteat, vel alia ratione in negotio necessario requirantur. In matrimonio vero nihil aliud pro essentiali requisito seu qualitate reputari potest, quam quod ad finem ejus, vel procreationis sobolis, vel extinctionis libidinis, necessarium est; at licet corrupta jam ante uxor fuerit, non ideo tamen reddetur instituto fini promovendo inutilis, alioquin etiam ab illa, quae vi, nulla sua culpa, ab alio ante sponsalia compressa esset, discedere tibi licitum foret; ne de viduis dicam, quibus tamen essentialia matrimonii qualitates nemo abjudicaverit, tamen virgines dici nequeunt. Nec adeo in dolo videtur esse illa persona, quae proco seu sponso amissa virginitatis vitium haud detegit; ex eo enim, quod nemo propriam turpitudinem allegare & confiteri tenetur, satis excusari poterit talis, utcumque antea corrupta, persona, ut proco & sponso suo ante acta illa, quae sane odiosa videri possunt, revelare hautquaquam teneatur, & simplicissimam etiam omnium mortalium eam crediderim foeminam, quae hac in parte prius procum suum interrogatura esset, corruptamne hic an verò virginem

virginem cuperet, & ultimo casu dictura, se talem non esse, qualem putaret, sed ab alio, proh dolor (ah! quæ talia fando temperet à lacrymis :) cognitam, v. g. Sie müſte ihm das auß guter meinung vorhero offenbahren! daß Sie leyder von einem andern &c. Sapienti & intelligenti pauca. Certe moraliter impossibile id esse fœminæ crediderim, & proinde eam ad cordis animique sui explanationem, in talibus odiosis & occultis, de quibus ne quidem Ecclesia judicare solet, nequaquam adstringendam. Et quamvis hæcenus dictæ rationes propositam sententiam non leviter fulciant, præterea tamen aliis adhuc fundamentis ea probatur: ita enim sponsa, ob id, quod ante sponsalia cum alia rem habuerit sponsus, à promissione matrimoniali recedere nequit, idque, si Doctores audiamus, ex ea ratione, quod major in fœmina, quam in marito, castitas requiratur; Utcunque verò hoc Hebræorum juri consentaneum fuerit, ita ut ibidem viris quidem, propter concubitum uxorum cum aliis, sive ante, sive post sponsalia, à data fide recedere licuerit, ut infra prolixius ostendam; attamen, abstrahendo ab ejusmodi Reipublicæ Judaicæ statutis, id ipsum, quod fœminis denegatum est, viris licitum esse, haud videtur; si enim, quod præsuppono, nullus amplius subornandæ alienæ prolis metus adest, æqualis castitas utrinque requiritur, nisi semper malam dicere velis eam, quæ in eodem delicti genere semel peccaverat. Accedit tamen, quod maritus infidelem, si talem nactus fuerit uxorem, comperto errore, dimittere nequeat, quapropter multo minus id ipsi concedendum erit, ob corporis in uxore detectum vitium, utpote cum longe majores sint labe animi vitii, quàm corporis. *Ulpianus* quoque in *l. si uxor* 13. *ff. ad L. Jul. de adult.* negat, stupri accusari eam mulierem posse, quæ post illud ducta est: nam sero, inquit, accusat mores mulieris, quos ducendo probavit. Quis vero putaverit, de sciente *Ulpianum* saltem loqui, cum non facile quis sciens talem, quæ stuprum passa erat, sibi addiscere soleat, vel certè raro ejusmodi indolis homines reperiantur, qui non aliquam curiositatem, quam leges tamen in contractibus requirunt, in tam ardua conventionem, adhiberent. Quare magis erit, ut vel de igno-

rante

rante Jctum exaudiamus, vel certe generaliter illum intelligamus, tam de ignorante, quam de sciente; sane enim, si generaliter leges loquuntur, nobis hautquaquam conveniet, distinctionem, tam verbis, quam rationi legis, minus congruentem, inducere. Et hæc Canonum Juri adeo conformia esse invenimus, ut ejusmodi connubia cum ipsis meretricibus ex lupanaribus extractis, ne de aliis dicam, secundum *can. inter opera 20. X. de Sponsal.* commendentur, imò inter charitatis opera reputentur, dummodo tamen sint, qui tam religiose charitatis officia, si quæ in illis rebus reperiantur, colere & præstare cupiant; nisi quis grande crediderit piaculum, in hoc nolle sequi Sanctum Patrem Ecclesie Romanæ auctorem cit. Cap., utpote tam suavi voce scilicet sub largo, remissionis peccatorum, & per consequens vitæ æternæ, præmio, mortales ad ejusmodi conjugia cum meretricibus invitantem. Nec est, quod dicas, Canonum auctores impensius meretricio generi favere, vel uti *Berneggerus ad Tacitum quest. 106.* scribit: *Cum tota Clericorum gens præ reliquis luxuriosa sit, & careat uxoribus, hinc ipsis operam dandam fuisse, ut facultatem luxuriandi ampliarent;* nam de talibus, qui sese ita ad cultum divinum præ aliis destinarunt, nomenque Clericorum habent, præ aliis electorum, nihil sane, quod vulgare esset, præ se ferens, assumerunt, talia velle sentire, vel ejusmodi venerandum Clericorum nomen, & per consequens religio Laicis saltem vetare videbatur; nec deest etiam, quod, pro coloranda hac Pontificis in cit. Cap. 20. constitutione, adferri possit: non adeo enim absurdè quis dixerit, *Clementem III.* ibi ipsum Sacrosanctum Numen fuisse imitatum, utpote à quo pariter tale conjugium cum meretrice, non dicam commendatum, sed etiam justum est, & ipsi quidem Propheta: *Edixit namque* (sunt ipsa verba Sacri Codicis apud *Hoseam cap. 1. vers. 2.*) *Jehera Hosea, abi, assume tibi uxorem scortum, & natos scorti.* Talem enim loci sensum esse, viri docti dudum docuerunt, Vid. *August. lib. 3. doctrin. Christi cap. 12. & lib. 22. contra Faustum cap. 23. Irenæus lib. 4. contra hereses cap. 37. Thomaf. 1. 2. quest. 100. artic. 8. ad 3. & 2. 2. quest. 15.* Verum, quis illius loci sit genuinus sensus, ad meam non pertinet spartam

tam latius inquirere. Et si Catholici *cit. Clementis III.* constitutioni auctoritatem & robur conciliare velint, per me id fieri liceat, quamvis maxima Christianorum pars non adeo solícite charitati operam dare solcat, ut cum tam pœnitenda re remissionem peccatorum redimerent; quare inter ipsos Catholicos (quibus tamen sanctiones Papales summæ debebant esse curæ) hunc *Can. inter opera 20. X. de sponsal.* facillè inter leges abrogatas & obsoletas connumeraverim. Evangelicis verò, utpote qui Papalem auctoritatem ens credunt, quod esse saltem fingitur, vitio nemo vertet, si ejusmodi canones non majoris auctoritatis (qualis enim causa, talis effectus) quam causa apud ipsos habet, æstimet. Retinuerunt hi pristinum Germanorum morem, secundum quem turpis & infamis persona creditur, qui sciens (erranti enim ignoscendum) ejusmodi vulgivagam Venerem in matrimonium sibi adoptare non erubescit. Quod scitè exprimit *Berneggerus ad Tacitum quest. 106. Ejus animus, qui sciens volens meretricem ducit, à patrie prodicione non abhorreere videri.* Præ reliquis enim Germani gloriari possumus, quod castitas apud antiquissimos nostros primores summa virtus; incontinentia verò & violata pudicitia summum scelus creditum fuerit. Hoc *Tacitus de Moribus Germanorum* laudabile testimonium tulit dum *cap. 19.* ita scribit: *Publicata pudicitia nulla venia, non forma, non aetate, non moribus maritum invenerit. Nemo illic vitia ridet, nec corrumpere & corrumpi seculum vocatur.* Quam infesti quoque Franci fornicatoribus fuerint, ex *lib. 6. Capitul. 415. & 7. Capitul. 143.* colligere licet. At cum hodiernis temporibus antiqua sordescant, & illa demum arrideant, quæ in aliarum nationum morem, secundum galanteriam (novi mores nova vocabula requirunt) seu secundum venustatem instituta sunt, hinc nequaquam mirandum, quod ejusmodi à Tacito descripti mores non adeo amplius curentur; magis enim decorum multis creditur, talia simplicioribus, qui minus experti seu innocentes *unschuldige* dici solent, observanda relinquere; hinc in opificibus, cum aliæ multæ pristini moris reliquæ, tum hæc adhuc hærent, ut talem personam in sodalicio suo non facile tolerant.

D

XIV. Non

Quid de si- Non alienum, puto, ab hac tractatione erit, circa illam questio-
gno virgi- nem, utrum scil. Virginitas corporis inspectione rectè probetur,
nitatis ju- nonnulla adferre. Quid apud Hebræos circa hanc Virginitatis
dicandum. investigationem in usu fuerit, illius gentis Scriptores testantur,
 atque ex *Deut. 22. vers. 13. seqq.* colligunt, moris apud illos fu-
 isse, ut paranympsi sindonem sive linteum, cruore ex primo
 concubitu aspersum, ceu virginitatis receptæ signum, asservarent.
 Et memoriæ quidem proditur, hosce paranympchos dictos fuisse,
 amicos socios, qui, postquam conjuges sponsus scil. & sponsa
 in thalamum introducti erant, foris stabant, ceu observatores &
 testes, deinde verò, postquam separati erant conjuges, intra-
 bant, vestemque, super qua concubuisent, tollebant, hanc,
 quod sanguis in ea appareret, sudarium pannum nominantes. Quod
 si ita est, facile crediderim, sponsum, voce quadam hilari, ob
 repertum virginitatis signum, id significasse dictis paranymphis,
 seu amicis sociis, atque ad hunc morem *Johannem Baptistam* re-
 spexisse verosimile maxime videtur, dum is *cap. 3. vers. 29.* ita
 loquitur: *Qui habet sponfam, sponsus est; amicus autem sponsi,*
qui stat & audit cum gaudio, gaudet propter vocem sponsi. Seu uti
Luiberus illud reddidit: *Wer die Braut hat / der ist der Bräu-*
tigamb / der Freund aber des Bräutigams stehet und höret
ihm zu / und freuet sich hoch über des Bräutigams stimme /
dieselbe meine freude ist nun erfüllet. Apud Alexandrinos ejus-
 modi linteæ, (*φυλκνεα* appellabant) à Pontificibus custodita fu-
 erunt, si *Isidoro Philosopho* apud *Phorium* illud testanti credimus.
Grotius ejusmodi vestimenta dicta esse vult *τα ενμαζια των γυναι-*
κειων πολυμοτων. Vid. *Selden. de Uxor. Hebraic. lib. 3. cap. 1. p. 232.*
 Nec ab simile est, quod ex *Oleario* & aliis memorat *Felmannus*
ad l. 17. de LL. §. 23. Moschos scil. & Guzurattenses Indos idem
 facere scil., intromissis in thorum conjugibus, esse ibidem etiam,
 qui ad fores expectarent, donec, signo victoriæ audito, (ecce sine
 inimicitis cruentam victoriam:) in cubiculum ingrederentur, lin-
 teumque inde cruentatum ablatum convivis ostenderent. Sed an
 infallibilia dentur Virginitatis signa, ad me non pertinet disqui-
 rere.

zere, Medicis facile eam rem discutiendam relinquo; quos tamen & ipsos deprehendes, hoc signum dolosum & fallax credere: vid. *Ranchinus de Morbis virgin. sect. 1. cap. 3. §. 4.* Illud tamen capere nequeo, quomodo ex oculis sceminarum certum incorrupti status criterium desumi valeat, prout apud *Æschylum* in *Toxotide* nonnemo, se inde colligere posse, jactavit. De quo *Æschyli* in notis ad *Solinum* sunt restituti versus, & secundum *Salmasium* ita se habent:

*Ritu puellis nuptiali expertibus
Immotus oculus in terram desigitur.
Nec me puella lumina exardescencia
Fallant, experta si qua jam fuerit virum:
Animus mihi ista discernendi gnarus est.*

Ceterum, quæ de probanda virginitate observari mereantur, docet *Schifordeggerus* in tract. de *Jure Regni Bohemiae hereditario tit. 3. cap. 46. §. 3.* cujus verba à *Dn. Hertio* in *disp. de insp. ocul. §. 10.* etiam relata sunt; quæ, quoniam nimis proluxa sunt, non placet adscribere, sed potius finem huic dissertationi imponere; nam cætera; quæ de hoc themate supersunt, aliis dissertationibus, non minus paradoxis, tradam.

COROLLARIA.

1. **J**uramentum Christianis quidem licitum, sed an voluntarium illud, quod vocamus in *Jure Rom.* juramentum, etiam permittum sit, problema esto.
2. Contractus chirographarius præsumitur non habet mutuum pro fundamento.
3. Qui actionem *Paulianam* realem dicunt, errant, nec etiam illi rem ex vero æstimant, qui personalem eam esse contendunt.
4. Actiones præjudiciales non sunt reales, nec etiam personales.
5. Actio ad exhibendum ex *Jure* in re oritur.
6. Bona fidei possessor fructus naturales facit etiam suos.
7. Contractus in testamento celebrari nequit.

D 2

8. V 612-

8. Venditor precise ad traditionem tenetur, nec liberatur prestando id quod interest.
9. Jus suitaris non tollitur per exheredationem.
10. Fideicommissum ex conjecturis quoque inducitur.
11. In testamento, quod, extrantibus filiis omnibusque descendibus masculis, filius & descendentes earum excludit, fideicommissi interpretatio pro filiabus ita facienda est, ut he vel earum descendentes etiam contra ultimi ex masculis testamentum succedere queant.
12. Utrum jus aliquod divinum positivum universale detur, problema esto.

Nobilissimo & Doctissimo Domino

RESPONDENTI,

Boni omnis Juveni, Astrææque dedicatos suos annos continuato diligentia tenore bene observanti.

Fœdera conjugii dum certo jure requiris,
 Fœdera non facili dissoluenda die:
 Ingenium ostendis Themidi BONGARDE dicatum,
 Inde libens junget se Themis ipsa Tibi.
 Connubium Astrææ felix Tibi sitque beatum,
 Et juris videas pignora mille sacri!

Ita benevola mente gratulatur

P R Æ S E S.

ADA-

116

ADAMO BUNGARDO,

Juveni Elegantiorum Literarum & Juris Naturæ, Gen-
tium ac Civilis Studiosissimo; Auditori meo in re Litera-
ria ultra quinquennium perindustrio & acceptissimo;

Primitias in Jure Academicas rite dedicanti,

FELICITER qualicumque hoc
celeusmate acclamo

Dr. HENR. CHR. DE HENNIN,

*Medicarum & Humaniorum Artium ac Historiarum
Prof. Publ. Ord. & Ordinis Medici h. t. Decanus.*

Conjugii tadas hominum sacra verat Auctor,
Ut primum e costa Fœmina nata fuit.
Hoc sacrum fœdus, vitii fœdaverat Auctor,
Cum mala tot malo pessima mala tulit.
Sed bene, quod Verum tenebris mersumque profundo
In lucem rursus protulit hic Ratio.
Macte esto BUNGARDE ista virtute, merenti
Connubium felix junget amica Venus!

Man sagt: Die Ehen seyn im Himmel fest beschlossen;
Und Gott der segne selbst und weyhe diesen stand;
Doch hat der Teuffel oft das brüchig band gegossen;
Wie führt oft Gevylheit nicht dem Mann die Frau zur hand?
Gott gibt in seinem Zorn oft Weib und Mann zusammen/
Oft will auch die Natur dem Band zuwieder seyn:
Doch hat man diese Sach durch Nebel/ Streit/ und Stammen
In's krumme Recht verdreht: Herz BUNGARD weis't es sein!
Und lehrt: was Man und Frau mit Recht zusammen binde/
Wie Gott und Recht auch wohl die Eh' und Band zerreyß't;
Daß dan Herz BUNGARD so der Themis Danck empfinde!
Daß ein gewünschtes Theil bekröne seinen Fleiß!

Also wünschet

H. CHR. VON HENNIN.

Quisburg und Clivia will hohe geister haben /
 Welche Liebhaber seind / von Kayfers hohen gaben.
 Des Kayfers der bekandt / genandt Justinian,
 Mein Hochgeehrter Freund / das setzt dir spohren an.
 Das du die Nechten liebst / des Kayfers hohe gaben /
 Motiven seind genug / die dich bewogen haben.
 Welche fürtrefflich seind; dein blühend Herz es labt /
 Mit Tugenden geziert / und mit Verstand begabrt.
 Wirstu dan ohn verdruß die Jara stets durchsuchen /
 Dem widersprecher auch mit Rechte und nicht mit Fluchen /
 Das Maul zustopffen wirst / auf diesen Ehrenplan /
 Gedenc daß solches offft / von vielen ist gethan.
 Dein Thema zeigt schon / was du im schilde führest /
 Der Himmel segne dich / wan du dein füße rührest.
 Sey deiner reißgesell / mit seinem sternen glück /
 Zu deines Herzens wunsch ohn alle falsche tück.

Diese wenige zeilen hat auß willmeinen-
 der affection hinzu gesetzt

M. ARTZEN, S. S. M. C.

D *Ulcis Amor nostrum firmo qui foedere junxit*
Pectus nunc causa est, ut Tibi vota canam
 Hue ergo mea musa, siles? quin surgis in altum
 Plallito metra, pedes silito, dulce canens.

A Es die Fama zu mir kahme / und mir dieße zeitung bracht
A Das (wie ich von ihr vernahme) ADAM BUNGARDT tag und nacht
A uff der Edlen tugendt bahn / geht einher und sich befeist /
A eine Feder setzt ich ahn / die mir ihre gunst verheist;
A Und will jego helfen loben diesen rechten Themis Sohn /
A Seine feinde ob sie toben / haben doch nur spott und hohn /
A leiben wird Ihm ja nicht auß / warumb Er sich bemühet
A In verdruß hat stets zu hauff / die weißheit auß Ihm blühet.
A Nach dem tode wirstu leben / Wehrter Freund / daß glaube mir;
A Drosses glück Dich wird umgeben / und Dir dienen nach begier;

> 116

117

V
 U Die Welt auch das wird preisen / was Du angefangen /
 U ihnen Dich / und Ehr erweisen allzeit nach verlangen.
 U Trumb so laß Dich nicht abschrecken / andre dinge dieser Welt
 U Ihn Dich mit weisheit decken / biß Du gehst ins Himmels zelt /
 U nd gedende der gesegen / das man ehrlich leben
 S oll / niemand nicht vertlegen / was jedem zukompt geben. * * 7^{ust}. 1^{ust}.
 L. 1. r. 1. S.
 fin.

H Oc ex corde tibi (quamvis modulatus avenâ
 Pervili:) voveo, ast fœdere dulcis amor
 Qui junxit pectus nostrum non Carmine, verùm
 Mente potest nosci: suscipe grata pecto
 Hæc quæcunque rudi cecinit mea musa Minervâ:
 Impono finem: vive valeque diu.

Auß liebe gegen dem Herzu Respondenten
 hat dieses wohlmeinendlich aufgesetzt /
 und über gesandt von Braunschwerth
 auß dem Bergischen den 2. April. 1703.
 desselben dienstbekanter

JOH. GOTTH. von RECK-
 LINGHAUSEN.

E S ist ein altes wort das niemand wird getröhnet
 Er habe dan gekämpft; das niemand wird belohnet
 Er habe dan zuvor sich wol verdient gemacht /
 Und ihm den Ehrenkranz mit recht zu weg gebracht.
 Dieß ist die ursach dan; warumd des Maris Knechten
 Für's wehrte Vaterland ganz unerschrocken sechten /
 Und so mit Helden muth sich geben ahn die spitz
 In's blache Feld herauß verackend Donner bliß;
 Damit zu ihrem ruhm die Nach-welt möge sagen
 Dieß ist der brave Held / der so sein blut thät wagen :
 Der so mit tapferkeit / der so mit starker Hand
 Den Degen hat gefährt für's liebe Vaterland.
 Herz Vetter hat zwar nie auffsolebe wiß gesucht
 Ihm Ehr zu legen ein: den weg hat Er verfluchet.

Es

Es war sein kluger Geist von Kindes beinen ahn
 Vielmehr der wissenschaft / den Musen zugethan.
 Minerva hatt' Ihn schon eh Er noch war geboren /
 Eh Er noch reden kont zu ihren Sohn erkohren ;
 Die Themis kam hernach / und sprach Er soll mein Knecht
 Mein treuer Diener seyn / der lehren wird das Recht.
 Was wunder ist es dan / daß Er in seiner Jugend
 So bald das werck greiff ahn / und zeiget seine tugend ?
 Der Anfang ist schon gut / Herz Vetter fahre fort
 Bis nach vollbrachten sieg / Dir wird der Ehren port
 Auch vollend auff gethan : bis daß Dich Themis kränget /
 Bis daß ahn deiner Stirn die Doctor-Krone glänget.

Dieses sezt auß Brüdertlicher Affection
 wolgemeint hinzu

THEODORUS BECMAN,
 S. S. M. Cand.

Vere novo latis decorantur floribus arva,
 Jam quoque producit præmia terra sua.
 Præstas & BONGART specimen, das signa laborum,
 Ostendis doctè quid studuisse juvet.
 Nunc insiste tuis cœptis, felix pede cœpto
 Perge, Tibi tradet præmia sacra Themis.
 Nec Tibi deficient laudes, legisse juvabit
 Leges, Duisburgi sic eris ipse Decus.

Votum

VIVE, Vige BONGART per MVLtos NestorIs annos,
 AC faVeant stuDIlIs hIs sVperIQVe tVIs.

Hæc pauculis Nobilissimo Dn. Respon-
denti Amico suo dilectissimo accipere
voluit, & debuit

W. F. C. SETELS, J. U. C.

F I N I S.

ULB Halle
001 596 608


3



W017







DISPUTATIO PARADOXA
De
**VERIS MATRI-
MONIUM DIRI-
MENTIBUS CAUSIS,**

Quam

SUB PRÆSIDIO
**CASPARI THEODORI
SUMMERMANNI,**
Jurium Doctoris & Professoris
Publ. h. t. Facultatis Jurid.
Decani,

Ad diem Aprilis in Auditorio majori

Publicè Eruditorum disquisitioni submittes

A D A M U S B O N G A R D T,
D U I S B U R G E N S I S.



D U I S B U R G I a d R H E N U M,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi,
Anno M. DCC. III.

Boq 10
4

